

obtusum. Ex quibus patet Octaedron caput esse sui ordinis, sicut  
cubus primorum est princeps.

## C A P V T VIII.

*Quod Octaedron sit intra Venerem & Mercurium.*



V O D autem propterea statim ad Dodecaedron in mundo sequi debet, non sequitur. 1. Nam quia reueraduo diuersi sunt ordines, possunt etiam in diuersas mundi plagas spectare suis capitibus. 2. Atq; adeo, quia Cubus dignissimæ mundi regioni extra Terram appropinquat, circumferentia scilicet siue fixis: par erat, vt & alterius ordinis caput digniori loco mundi intra Telluris orbem accederet. Nihil autem dignius centro & Sole. 3. Quod si etiam vtriusque ordinis situm pro uno censemus, quid elegantius fieri poterat, quam ut ille vtrinque similibus & primis corporibus clauderetur. 4. Pulchrius etiam est, multifacia corpora ad inicem sequi in medio, & à pluralitate basium vtrinq; sensim ad paucitatem discedi, si nihil aliud prohibeat: quam si ad multarum basium corpus sequeretur unum paucarum basium, & deniq; succederet rursum aliud longè plurium, quam erat vtrumq;. 5. Atque cum Dodecaedron esset in suo ordine ultimum, conueniebat, vt illi succederet ex altero ordine, quod esset sui simile. 6. Etiam hoc ad Telluris dignitatem pertinet, vt vtrinque similiter, quantum fieri posset, stiparetur. Cum igitur ita cecidisset, vt exteriùs proximè ambiretur multifacio, par erat, vt interiùs etiam proximè complecteretur multifacium. Duo igitur hi ordines quinque horum corporum ita sunt à sapientissimo Conditore in unum redacti, vt cibis inicem ad Tellurem, quæ maceris ipsorum est, obuerterentur, capitibus in diuersas mundi plagas discederent.

CAPVT